

Q. K.
355,9.

X 1860422

T. 197
II f
547

I. N. J!
DISPUTATIO PHYSICA
De
SPECIEBUS
SENSIBILIBUS,

In Electorali Academia Wittebergenſi
SUB PRÆSIDIO

M. BALTHASARIS-JOHAN. PICHTELI,
Oldenburgenſis
habita

à
CHRISTIANO ELLIGERO,

Zittaviâ Luſato.
die 8. Januarii Anno 1659.
horis Antemeridianis.
In Auditorio Minori.

WITTENBERGÆ
Typis JOHANNIS RÖHNERI, Academ. Typogr.



Q. 25.



NOBILISSIMÆ
KISLINGIORUM
IN PATRIA ZITTANA
FAMILIÆ,
VIRIS

præprimis

*Nobilissimis, Amplissimo Excellentissimo, Spectatissimis
Literatis. Integerr.*

DN. JOHAN-CHRISTIANO KISLINGIO,
Med. D. celeberrimo, Practico ibid. fe-
licissimo.

DN. JOHANNI KISLINGIO,
DN. ANTONIO,
DN. MICHAELI,
DN. MAXIMILIANO

KISLINGIIS, Fra-
tribus germanis,

Civibus ut primariis, ita honoratissimis.

DN. JACOBO KISLINGIO, Civi
itidem non postremo;

DN. Mæcenatibus atq; Necessariis
observantiam singulis debitam studio-
rumq; promptitudinem probaturus,

*Hoc, quicquid est, chartacei cum omnigenæ καλο-
καίγαθοπραγίας voto*

STRENÆ LOCO

D. D. D.

RESPONDENS

Præloquium.



Naturæ ingeniosæ salebras dum
perreptamus, specierum sensibilibum cir-
cumfundimur frequentia. Hæ sensus pe-
tunt & lacesunt semper. Mentem lu-
dunt, ægreq; rigidiori se sistunt examini.
Ut nec sibi, nec aliis, nec materiæ facere queat satis rerum
harum scrutator. Ingeniosissimus Fracastorius sudavit
in pulvere hoc, sed perdidit operam. Hinc lassus, hinc
curâ confectus scribit:

*Quid dicam miserum me agere, & quam ducere vitam
Irrequietum animi, & quarentem indagine vanâ
Naturam semper fugientem: quæ se ubi paulum,
Ostendit mihi, mox facies in mille repente,
Ceu Proteus, conversa, sequentem illudit, & angit
Mercentem seni q; horas casumq; laborem?
Nuper enim tennes species, simulacraq; rerum
Quæ fluere ex ipsis dicuntur, perq; meare
Omnia, dum sector meditans, tacitusq; requiro
Avia sylvarum, & secreta silentia solus,
Cognovi tamen his spectris illudier ipsis:
Ut sensus feriant nostros, semperq; lacesant,
Perq; fores caulasq; anima ludantq; meentq;
Ac remeent, ipsamq; nec inter somnia linqunt.*

In viridi hoc si fit, in arido quid fiet? Selectum in-
genium si torquetur adeò, quid animæ accidat humili &
plebejæ? Sed tentare licet. Etiam videt, imperfectè qui
videt: audit, cui aures obtusæ. Si nobis non licet esse tam
beatis, ut sapiamus perfectè, etiam mica sapientiæ præ-
ferenda nulli.

*Ad M. An-
ton. Flamin.
& Gal. Flo-
rin. p. m. 68.*

DE sensibilibus speciebus cognoscendum primùm, *an sint* : deinde, *quid sint* : tertio, *quotuplices sint* : quarto, *quales sint*. Intra hos nos continebimus cancellos, ne sine lege, sine ordine, vagetur oratio.

An sint.

II. Esse species has, & *Experientiâ* & *ratione* constat. Vitrum vino rubro repletum tingit rubedine linteum album : tenui sanè & superficiali sui vel parte, vel gradu, vel formâ. Sub viridi cubantes arbore viridi perfunduntur colore. Viriditate hâc fluente ab illâ : simulacro ac specie à re. Parieti albo viridis infertur color per viride vitrum. Clarus aër varios imbibit colores tectorum, eosq; in admota transfert corpora. Aquis adstantes imaginem suam in undis habent. In speculis, in metallis, in gemmis, quid nisi has ipsas cernimus species? ubiq; perenni naturæ lusu facies nostra nobis, & quidem in nos obversa, redditur.

III. Thaumantis filia Iris audit. Et merito suo. Miranda hîc figura, nunquam integrum circulum, sed aut semicirculum tantum, aut arcum semicirculo minorem, absolvens. Mirandæ imaginum confusiones : nunquam enim tota Solis imago, sed aliquid ejus repræsentatur. Mirandi colores : extimus, medius, infimus : puniceus, viridis, purpureus, aliiq; ex his orti. Miranda multitudo : singuli enim singulas, imò multiplices cernimus. Suam Petrus, suam Paulus : & quoties quisque promovet pedem, toties aliam habet iridem. Miranda imaginum conjunctio. ut unum fiat phasma ex infinitis concinnatum. Mirandus ortus, mirandus interitus. Citò fit, citò perit. Regina hæc meteororum quid nisi spectrum, nisi solis simulacrum est? Ut singula stillicidia cadentis pluvie singula sint specula : Quæ quia parva sunt, quia locorum intervallis à nobis distant, Solis nitorem sine figurâ exprimunt. Et, quod jucundum magis, in oculo videntis novam speciem pariunt. Idcirco si quis intueatur hunc, in pupillâ iridem videbit. Atq; in hujus pupillâ illius iridem tertius : & ab hoc quartus.

IV. Lu.

IV. Lunas duas, geminosve Soles, quis est qui non observavit in nubibus semel atque iterum? Ruthardus ait: *An. 1622. Mense Febr. die 15. in hac Friburgensi urbe Sol quadruplicatus à pluribus omnis ordinis spectatoribus fuit visus. Et anno 1630. mens. Jan. die 24. Romæ observatus est Sol sex omninò stipatus pareliis, variâ intuentium & admiratione & divinatione.* Quid hîc aliud, quàm species, quàm simulacra rerum? Non equidem nubes cernitur, cum prope nos est. Per medias sæpe transimus, cum montium summa transcendimus. Eas tunc non videmus, nec nos in illis. Spectamus autem & nubes, & simulacra, cum recesimus. Tunc nitidas illas Solis & Lunæ facies intuemur cupidi. Ita benigna mater natura oculis ad solem sustinendum imbecillis speciem obtulit, atque hebetato lumine corpus fulgidissimum ostendit.

*Cosm. The. 4.
th. 3.*

V. Colla columbarum, & cervices pavonum, quid aliud, quàm species sensiles decantant? Non ibi humorum motu, sed solâ lucis positione colorantur diversimodè pennæ. Ut singulæ declinationes in novos transeant colores. De Insectis D. Franzius habet. *Insecta, tanquam pavones pro variâ positione & obversione ad solis corpus, nunc hosce nunc alios de sese præbent colores, adeò ut qui nunc apparebat æreus, mox inclinantibus sese paululum aureus sit appariturus, item qui sub sole erat cæruleus, sub umbra erit viridis, quæ res peritissimo philosopho negotium explicandi reddere potest difficillimum, & hoc in muscâ volante speciatim observare solitus fuit, & observare jubet Lucianus. Ecce quàm magnas res in vilibus hisce creaturis Creator nobis expendendas posuit.*

*Hist. Anim.
Tract. 4.
Part. 2. cap. 7*

VI. Sed satis experientiarum. Ratio adferenda, ne nudis nitamur sensibus. Hanc contactus dat, quo sine nulla actio, nulla sensatio. Prope sit id, quod sentitur: remoti nulla perceptio. Non autem capit objectum ipsum sensus, neque corpuscula ex eo emissa, sed imagines solas, sola spectra & simulacra. Stellæ totus intuetur mundus, miranturque perpetuum facularum cœlestium fulgorem docti pariter cum indoctis. Egreditur ergò aliquid è vastis siderum corporibus, & per patulas visus meat portas. Non corpus sed species. Jugi enim

tenore si defluerent corpora, dudum extincta essent penitus maxima mundi lumina. Quibus tamen si statum spectemus, nihil firmitus; si ordinem, nihil certius; si perseverantiam nihil durabilius universa complectitur natura. Cætera corpora etiam dissiparentur facile, & subitâ perirent clade. Musica certè quamdiu oculorum ferret aciem? Dissiparetur exiguum corpusculum facillimè, utut ex innumeris sit concinnatum atomis. Fluxus continuus quid non exhaurit tandem? Integra tempore brevi siccantur dolia, quin & flumina.

Quid sint.

VII. Quid sit species sensibilis, sequens exhibet descriptio. Species sensibilis est imago ab objecto sensibili egrediens, tenuis ac pura, & à materiæ concretionem libera, juxta quam judicat sensus. Dicitur alias species spiritalis, species intentionalis, spiritus intentionalis, qualitas intentionalis, qualitas spiritalis &c. Quanquam differant hæc à specie sensibili, ut latius ab angustiori. Omnis enim species sensibilis spiritalis est: non omnis species spiritalis sensibilis. Magnes ferrum trahit per speciem, quæ nec visui, nec auditui, nec ulli sensuum objectatur.

VIII. Per *imaginem* describimus speciem sensibilem. Duo in imagine spectanda, similitudo & processio aut expressio. Imago est, quod procedit ad similitudinem alterius. Ovum ovo simile est: sed non ejus imago. caret enim dependentiâ, caret processione. Species sensibiles & similitudinem habent, & expressionem. Species per quam lapidem cernimus, & producit à lapide, & similis est illi. Pelves mille die sereno pone, & Solis imaginem habebunt omnes. Nec aliter Imperator siderum imaginem suam in formosâ fingit nube. Idem Luna agit, idem siderum chorus universus. Ita natura rerum & vera dedit corpora, & imagines eorum non negavit. Quin plures dedit imagines, quam corpora. Indefinenter enim hæc radiant & imagines diffundunt. Infiniti homines unum intuentur solem: tot ergo hujus imagines, quot oculi humani. Imò plures, cum plura se obferant passim & naturæ & artis specula. In quibus cunctis & processio datur & similitudo.

IX. Imago hæc *tenuis* dicitur *ac pura*. Nulla hîc crassities, nulla concretio. Non infici, non adulterari potest. Nihil alieni

alieni patitur, sed sincera est, simplex est, ac impermixta. Videmus imagines innumeras in speculis, sine confusione, sine commistione. Videmus lumina candelarum distinctarum peridem foramen immissa in objecto plano distincta penitus & candelis suis opposita directè. Videmus extinctis candelis nonnullis totidem etiam lumina ex oculis evanescere, salvis cæteris ac illæsis.

X. *A materia concretione libera est.* Manet in objecto sensibili materia, non ad sensuum migrat organa. Manent etiam qualitates materiales, neque suum deserunt subjectum. Species verò hæc diffunduntur, & ipsa quoque corpora penetrant. Non deserit ignem calor, neque frigus aquam. Clausis fenestris, munitisque probè partibus cunctis, non egreditur hypocausto calor, neque intrat frigus. Porta verò ubi datur, & hoc ingressum, & ille egressum tentat. Imagines autem hæc liberum habent transitum, & per æerem, per vitrum, aliaque corpora ruunt pede inoffenso. Cernimus sanè per vitrum obambulantes in foro ac plateis. Campanæ aut tubæ sonum in musèo undique concluso haurimus auribus. Colloquimur clausis foribus. Causa non est alia, quàm materiæ, quàm quantitatum carentia.

XI. In cerebro sensuum arce quot quæso imagines absq; obliteratione? In pueritiâ, in infantiâ quæ didicimus, in senio novimus, & usurpamus utiliter. Et singulis diebus, singulis horis, uni speciei & alteri tertiam, quartam, decimam, vigesimam, centesimam & millesimam superaddimus. Absque misturâ, absque confusione. O rem subtilissimâ inquisitione dignam! Quam & Scaliger subtilis capere satis non poterat. Unde contra memoriam omnium doctorum thesaurum se armat, & difficultates aliquot quibus impellamur nullam esse memoriam adfert. *Quæ materia, inquit, unâ aut alterâ specie induta fuerit: adde tertiam atq; etiam millesimam: ea plena erit, atq; fortasse confusa. At memoria nostra pene est infinita: Quibus igitur spatiis continentur illa? Quibus sedibus ita disposita, atq; etiam ordinata: ut & unum quodq; separatim, & cuncta confertim, & singula ordinatim promere, statuere, digerere possimus*

Exerc. 307. s. 28.

simus &c. Paulo post: *Qui hasce non sunt contemplati difficultates; iis non est difficile, memoriam ponere quo ponitur modo.*

XII. Sed imbecilles sunt oculi, qui ad alienam lippitudinem suffunduntur. Meminisse debebat subtilitatum Doctor, non indigere spaciis certis species nostras. Sunt enim spirituales: carent dimensionibus, carent figuris. Uni & alteri, tertiam, quartam ac millesimam cum addimus, nullam confusionem, nullam commixtionem gignimus. Nec enim situs, nec locus, nec spatium, ad has spectant. Hæc specierum harum indoles, hæc natura, ut in uno cerebri puncto stabulare possint innumeræ. Sicut in unâ aëris particulâ infinita stellarum lumina. In uno musei foramine sonorum, odorum, & colorum species plusculæ.

XIII. Deniq; *juxta speciem hanc judicare dicitur sensus. Visus juxta speciem visibilem, auditus juxta audibilem, & sic deinceps. Ut dudum fuerint explosi, alium sentiendi qui dedere modum. Alii dicebant, ait Scaliger, ex oculis exire spiritus: alii contra in oculum subire species. Ac prioris quidem sententiæ fuerunt architecti omnes Optici ac Philosophi veteres usq; ad Aristotelem. A quo cum sint castigati, non tam sunt reprehendendi nunc illi, quàm corrigendi ii, qui post divini viri judicium, nugas illas sunt secuti.*

XIV. Nunc quotuplices sint species sensiles videndum, quæ res magnæ eget disquisitionis & multæ diligentia. Tanta autem qualitatum harum prostat varietas, quanta objectorum sensuum. Aut Propria hæc sunt, aut communia. Illa: Color & Lux, Sonus Odor, sapor, & qualitates tactiles. Hæc: Magnitudo, numerus, figuræ, motus & quies. Atq; hinc species visibiles, audibiles, odorabiles, gustabiles, & tactiles surgunt. Hoc est, quod viri docti ingeminant, formam omnem esse multiplicativam sui. Aliam & realiter & spiritaliter; aliam spiritaliter tantum. Realiter, ut causam univocam: spiritaliter, ut æquivocam. Sed de singulis singillatim.

XV. Species coloris patent è dictis, neq; etiam aliàs in profundâ latent caligine. Ut prorsus dicis ac animi cansâ scriptis se & generoso Fracastorio se opposuisse videarur Scaliger. Adponam

Exerc. 298.
s. 16.

Quotuplices
sint.

Coloris spe-
cies.

ponam verba, cum & graviora & significantiora sint. *Neg, verò,*
ait, *probabilior illorum opinio, qui simulacra quaedam continuâ suc-*
cessione à corporibus, atq; accidentibus effluere arbitrantur: quæ ap-
pulsa oculis efficiant visionem: Quod figmentum vel unico potest ar-
gumento aboleri. Transversis enim atq; etiam adversis ventis aufer-
rentur simulacra: at non auferuntur. Præterea etiam quæ à tergo
sunt sita videremus. Simulacra enim illa volitantia in gyrum subvecta
placidis auris ad pupillam pervenire possent. Præterea quomodo simu-
lacrum impellit, aut subit, aut secat aerem? Quis motus ei naturalis,
præter motus naturales duos, sursum & deorsum? An habet motum
voluntarium, ut ad contrarios motus sese comparet? Aut quâ detri-
tione fit magni corporis parvum simulacrum: ut in pupillam recipi
queat? Hæc & alia quæ brevitatis causâ omittuntur adversus optimi
doctissimiq; civis nostri Fracastorii sententiam dici possunt; qui in li-
bro de sympathia hujusmodi specierum statuit effluxiones.

Ex. 325. 15.

XVI. Hæc Scaliger contra civem suum, quin & contra
seipsum. Adeò pro comperto & explorato habet, visionis mo-
dum non in emissionem, sed in receptionem consistere, ut adversæ
sententiæ defensores parùm gnaros veræ philosophiæ procla-
met. Recipi autem non corpora, sed species mille monstrat in
locis. Species è materiâ elici, perq; ipsum aerem in oculum de-
ferri claris passim ait verbis. Species easdem aliter recipere
aquam, aliter aerem, aliter glaciem, aliter speculum cavum, cur-
vum, planum, monet disertè. Addit notanter: Si esset in specu-
lo vis animæ, speculum videret, nullâ ab eo factâ emissionem.
Atq; sic acutus vir non tam civi, quam sibi scribit dicam. Adeò
hominem abripit contradicendi ardor ab seipso. Sed ad ratio-
nes. Licet aer Ventorum moveatur impetu, radiant tamen obje-
cta visûs, & indefinenter ac circumquaq; species projiciunt. A
tergo sita non videmus, quia visibile radiat tantùm radio recto in
oppositum. Subit simulacrum aerem, ut species corpus. Motus
non est rectus, atq; sic nec sursum, nec deorsum: sed circularis.
Magni corporis parvum fieri simulacrum, quis visu gaudens du-
bitet? Specula id monstrant cunctis: Ut nil dicam de iridis for-
matione. Causa est, quia ex se species nec magnæ, nec parvæ sunt.
Fiunt autem nunc magnæ, nunc parvæ, pro ratione vel subjecti,
vel medii.

Ex 298. f. 16.

B

XVII. Cæs.

Exerc. 75. f. 7.

XVII. Coeterum species colorum non nisi per illuminatum medium transire censent vulgò Lucis verò aliam faciunt rationem. Videmus, ajunt, lucida per tenebras: colorata noctu videre nequimus. Citant Poetam: Rebus nox abstulit atra colorem. Unde ansam arripit Scaliger reprehendendi Veteres. Concludit enim hinc, sensisse viros bonos à lumine fieri colores, cum posito eo ponantur: remoto, removeantur. *Veteres, ait, sensus mancipia, suspicatisunt, ut ubi colorem nullum viderent, nullus item color esset. Idcirco Divinus Poeta: Rebus nox abstulit atra colorem. Quasi color non sit intra soliditatem corporis, sed in solâ superficie, idq; non nisi presente lumine. Quasi dissecto pomo color statim ibi generetur. Item: Malè arbitrati sunt, colorem esse potentiâ visibilem, non actu. At ille actu visibilis est. Visibilitas enim non producitur nova ab ullâ causâ: sed actus, qui est videri, accidentalis. Actu est homo risivus: actidit, ut rideat. Quin color suâ naturâ visibilis est: etsi nunquam videretur. Non enim tollitur potentia per objecti ablationem, quia fluit ab internis principiis essentialibus: neq; è contrario deletur objectum per amotionem potestatis. Ex se enim est, quod est.*

XVIII. Nos duohic desideramus; Alterum in re; alterum in autoritate. Negamus colorum species non nisi per illuminatum transire medium. Admoveatur candela accensa parieti colorato, & sit constitutus homo in loco tenebricoso, videbit colores parietis. Tendunt igitur species illæ per aerem non illuminatum ad oculos videntis. Prorsus eâ ratione, quâ nocte atrâ è longissimo spatio conspiciamus ignes: aut quâ stellas cernimus, quæ aerem totum non illuminant; quâ oculos felium in caligine densissimâ. Ut lumen nō ratione medii, sed tantum ratione objecti requiratur. Quoad veteres, quid locuti sunt, quod opus habuerint limatulo & polito Scaligeri judicio? Quid ausi

———— brevis, Gyaris, & carcere dignum,?

Profectò non est viri, non est generosi animi cujusquam lædere famam. Ita Virgilius:

Est iter insylvis, ubi cælum condidit umbrâ

Jupiter, & rebus nox abstulit atra colorem.

In tenebricosâ popinâ haud cerni colores, nonne verum? Non-

ne ve-

ne verum? sine luce non radiare colores, non diffundi colorum species? Quem doctorum fugit, colorem nunc pro actu movente, nunc pro virtutem movendi habente, sumi? Nonne Aristoteli color est id, quod in luce cernitur? Num & hic sensuum mancipium? Miseri veteres soli tangendi, soli pun-
gendi.

2. de An. c. 7.

XIX. Ut verò colorata species spargunt, sic & luminosa. Hinc luce nihil utilius in universo. Solitudini n. ostenderet tā pulchra, tam magna, tam varia corpora natura, si luce, si lumine forent destituta. Unde eadem fuere lucis natalitia, quæ mundi. Primus hujus decor, prima perfectio lux fuit. Tenebræ enim cum super faciem abyssi essent, dixit Deus fiat Lux, & facta est Lux. Et facta illa lux statim ab ipso mundi structore dilecta est. Hæc lumen peperit & radios, soboles sibi simillimas & coævas. Res species. Non aliter ac viriditas una alteram. *Dicendum est, inquit Scaliger, lumen esse speciem, id est, lucis representationem. Qualis est viriditas illa, ab illa viriditate.* Imitatur hîc, ut sæpe aliàs, Naturam Ars. Domus cum fabricanda, prima cura luminis est. Hoc sine tenebris horret, omnisq; perit decor. Dato verò eo & grata partium varietas, & multiplicium colorum picturæ conspicuæ sunt.

Lucis species

Exerc. 71. s. 1.

XX. Spuria Lucis proles umbra est, magnitudine, multitudine, intensione, remissione, situ, motu, & quiete, diversissima. Hæc multa humano generi peperit miracula. Qualia horologia scioterica, spectacula umbrarum ingeniosissima, usui humano accommodatissima. Inventor rerum harum à Plinio dicitur Anaximenes Milesius, Anaximandri discipulus. Tantum de speciebus lucis & coloris.

XXI. Auditus objectum sonus est. Hic audibiles diffundit species, quæ non minus ac visibiles replent aerem. Quicquid auribus capimus, non sonus ille est, qui aeris percussione excitatur. Rem non capit sensus, sed rei speciem. Ut lapis non est in speculo, aut arbor in oculo: ita nec sonus in aure. Tonitrua quæ fiunt innubibus, non deferuntur ad aures, sed species huc meant. Et campanæ sonus cum fit, species propagatur, hæc aerem replet auresq; animalium ferit.

Soni species.

XXII. De Sermone quid dicendum? Nuncius hic ac interpretres cogitationum quid nisi species exigit? Sonus in ore for-

matus non exilit & adstantium aures pulsat: sed species parit, quæ diffunduntur, & patulas aurium portas occupant. Una pastoris, una oratoris vox est: hæc non de loco in locum, de subiecto in subiectum migrat. Speciem parit, quæ per aerem ruit, & aures animosq; petit.

XXIII. Sermoni analogæ Musica. Hæc non homines modo, sed bruta, sed saxa traxisse fertur. Nullum pectus tam immitte, tam asperum, quin molliatur & mulceatur musicæ dulcedine. Vix nati infantuli cantu & modulationibus capiuntur ac compescuntur. Neq; voci tantum, sed & instrumentis inest mira illa virtus mulcendi fastidissimum aurium sensum. Inest citharis, inest lyris ac tubis, vis magnetica trahendi, leniendi, componendi, excitandi pectora. Saul furibundus citharæ cantu ad meliorem revocabatur mentem. Achilles iram lenivit lyrâ. Pythagoram dicunt in procaces ac ebrios incidisse aliquando, ac iussisse tibicinem, ut mutatâ harmoniâ Dorium ipsis accineret, qui cantus moderatior erat. Facto hoc, resipuerunt adeo, ut abjectis corollis verecundiâ suffusi domum reverterentur.

XXIV. Et historiam habent de Dionysio Siciliae Rege. Hic Citharædum ad se magnificis pellexit promissis. Quod scitius caneret, eò plus daturum præmii asseveravit. Cumq; ille cecinisset accuratè aliquot dies, nec quicquam obtulisset Rex, cœpit flagitare mercedem. Sed mercedem promissam se bonâ solvisse fide Rex protestatur. Quis, inquit ille, cum ne nummus quidem mihi datus sit? At dedi, inquit Dionysius, voluptatem pro voluptate: ego te delectavi spe, tu me cantu.

XXV. Musica hæc, quæ tantum habet venerationis, quoniam sensus movet pacto? Non re, sed specie. Species intrat aures, species pulsat mentes. O quanta vis in tenui spectro! quanta potentia in simulacro! Ita in minimis maxima natura est. Non secus ac autor hujus magnus, non in magnis modo, sed & in vilissimis, in abjectissimis.

XXVI. Neq; prætereunda Echo. Hæc sonus multiplex est, è primi soni fractione ortus. Modo fit isto. Aer verberatus sonum edit. Hic speciem parit, quæ longius promittitur, & ad solidum obstaculum alliditur. Tunc eodem quo advenerat tramite recurrit, atq; sic sonum reiterat. Nunc quidem adeo, ut ad aures re-

verta.

vertatur sonus prior totus, nunc parte prioris sui truncatus. Et nunc citius, nunc tardius. Totus, cum locus est æqualis, Truncatus, cum locus est flexus. Citius, cum corpus in quo repercussio fit, minori distat intervallo. Tardius, cum intervallum majus est. Exempla ubivis obvia sunt, in vallibus, antris, parietibus, muris, & ædificiis cameratis. Et in porticu quãdam Olympiæ septies vocem eandem redditam esse memorat Plinius. Tantum de speciebus soni.

*Lib. 36. cap. 15.
Odoris species*

XXVII. Olfactus objectum odor est. Etiam in hoc sua sunt miracula. Fragrantissimus aromatum odor est: acerrimus pomorum citreorum: dilutus quadantenus cotoneorum: inenarrabilis cœterorum. Movet sensum, non re, sed specie. Minima sunt sæpe odorata, & amplissima explent spacia odore. His imminutio, tabescentia ac destructio acciderent, si non species, sed res ipsas emitterent. Et pisces eminus odorantur escas, earumque; alliciuntur odoribus. Quod si adscribendum effluviis, quomodo hæc crassam penetrant substantiam? Et quomodo id quod tendit sursum naturæ impetu, ruit deorsum ad pisces degentes in fundo? Maneat per aerem & aquam ad nares deferri species.

XXVIII. Quamquam non defendendum pertinaciter, perpetuò species nudas, nunquam res ipsas, afflati naribus. Ellychnium fumigans quid quæso obfert naribus? Rem, an imaginem? Gravidis tam noxius odor hic, ut foetum extingvere queat. unde humanam fragilitatem deplorandi uberrimam sumit materiem Plinius: *Miseret, inquit, atque etiam pudet aestimantem quàm sit frivola animalium superbissimi origo, cum plerumque abortus causa sit odor à lucernarum extinctu. His principis nascuntur tyranni, his carnifex animus. Tu qui corporis fides viribus, tu qui fortunæ munera amplectaris, & tene alumnium quidem ejus existimas, sed partum: tu cujus semper in victoriâ est mens, tu qui te Deum credis, aliquo successu tumens, tanti perire potuisti: atque etiam hodie minoris potes, quantum serpenti ictus dente: aut etiam, ut Anacreon Poeta, acino uvæ passe: ut Fabius Senator Pretor, in lactis haustu uno pilo strangulatus.*

lib. 7. cap. 7.

XXIX. Democritus odore panis calidi quid præstiterit, Diogenes Laertius describit. Cum enim ex senio deficeret, & morti jam videretur propinquus, doluit soror vehementer, quod in celebritate Cereris moriturus esset. Moribundus hic bono animo

lib. 9.

esse sororem, & panes calidos quotidie adferre jusfit. Allati sunt panes & admoti naribus. His vivum se, dum celebritas ea tranfiteret, ac soror Deæ vota exolveret, servavit. Peractis autem diebus istis, (tres erant) quietissimè ac minimo dolore conclusit vitam centesimo nono ætatis anno. Hinc epigramma.

*Quisnam tam sapiens visus, qui tale patravit
Unquam, quale sciens omnia Democritus?
Qui per tres tenuit presentia fata dies, &
Illa recens cocti panis odore aluit.*

Non hinc species nudæ, sed effluvia recrearunt & ad tempus conservarunt Virum ingentem.

XXX. De Vulture ferunt, quod tantâ odoratûs sagacitate sit præditus, ut loca in quibus futura sit clades, septenis & pluribus diebus antè circumvolet, ac lautiora sibi fercula avidè expectet. Quod speciebus putant adscribendum. Sed somniant causam rei, quæ non est. Ut plerumq; ventilant anxie quæstionem cur sit, dimissâ temerè quæstione an sit. Ubi enim cadaver nullum, ibi nullus etiam cadaveris odor, nulla odoris perceptio. Hoc tamen dandum largiter, per maxima locorum spacia cadavera olfacere vultures. Non ob spiritales tantum qualitates, sed ob effluvia per ingentem aeris tractum dispersa. Unicum cadaver per quot saepe passuum millia aerem inquinat. Cruenta igitur quid non præstet strages? Hinc pestem ex insepultis interfectorum cadaveribus non semel ortam memorant historiæ. Sed ad gustum & Tactum.

Saporis species

XXXI. Gustûs objectum sapor est. Hic jam materiæ videtur immersus, cum jungi amet organo. Non per aerem, non per aquam, sapor spargit species, quæ recipiendæ forent à lingvâ: sed immediatè res sapida applicanda organo. Nihil gustatur, quin tangatur prius. Ut sic à visu, ab auditu, & ab olfactu, Gustus differat egregiè, cum externum medium respuat penitus. Non tamen negandæ huic species, non dissimulandæ. Quod è sensu communi & phantasiâ perquam manifestum. Communis sensus Regis instar aut judicis velut in throno sedet, & ab externis istis quinq; sensibus ceu ministris fidelibus singillatim visa, audita, odorata, gustata & tacta, accipit & judicat. Quod certè specierum fit ope, non rerum. Species ergò subministrat non minus Gustus, quàm sensus ceteri. Hinc Phantasia etiâ species illas arripit,

pit, & expendit exactius, novasq; ex iis fabricat. Unde somnia habemus, non de rebus tantum quas vidimus, quas audivimus, aut odorati fuimus, sed & quas gustu percepimus. Somnia sunt canibus panes &c.

XXXII. Tactus deniq; objectum qualitates tactiles sunt. Caliditas puta, frigiditas, humiditas, siccitas: mollities, durities, asperitas, levitas, scabrities, glabrities &c. Hæ magis adhuc immerse sunt materiæ, quam saporis. Non sentiuntur unquam nisi immediatè & proximè admotæ organo. Unde semper inventi sũt, de sensu hujus terrestris, ut ajunt, speciebus qui dubitarunt. Sed non de tactu solo negandum, de cæteris quod asserunt constanter. Ferrum cum tangimus manumq; dimovemus illicò, non frigescit hæc. Fit tamen frigoris perceptio: frigidum esse ferrum sentimus. Species ergò adest, quæ communicatur organo. Hinc sensus communis non minus hæc pensitat simulacra, quam alia. Non minus etiam Phantasia sua de his format somnia. Et nonne de qualitatibus secundis, ut vocant, res perspicua maximè? Quarum species solus tactus capit, res ipsas nunquam. Non ipsam lapidis duritiem, mollitiem, asperitatem, & levitatem: sed unicè simulacra harum Tactus recipit organum.

*Qualitatum
Tactilium
Species.*

XXXIII. Nunc pauca de objectis communibus addenda. Species etiam hic ponendæ, ponderandæ. Ut parietis albedo non intrat oculum, ita nec ejus magnitudo aut figura. Necesse est speciem magnitudinis, speciem figuræ, species aliorum, imprimi sensibus. In speculo si species habemus figurarum & multitudinum, quidni in oculo naturæ speculo haberemus easdem? In undis, in nubibus, nonne figuræ Solis ac Lunæ? Idem de similibus judicium.

*Objectorum
communium
Species.*

XXXIV. Nec est, quod excipiant; per exiguum pupillæ foramen magni montis magnitudinem ingredi haud posse: & magni corporis magnam quoq; esse imaginem. Falsum ajunt, cum corporis magni non nisi magnam dicunt imaginem esse. Vastum Solis corpus imaginem suam per exiguam spargit rimulam. Quanta imago illa in parvâ rimâ? Sanè & magnam & parvam corporis magni habemus imaginem. Pro diversitate mediorum, locorum, & subjectorum. Sicut & magnâ & parvam parvi corporis cernimus imaginem. Ob causâ eandem.

XXXV. Illud majoris videtur momenti, an communia objecta proprias spargant species, an verò propriorum species determinant tantum? Posterius asserimus, nec absq; necessitate species multiplicandas censemus. Non faciles sint Phisici in multiplicandis vel re-

bus

bus, vel speciebus. Sed ut natura parca est, lineasq; amat breviores: ita Physicus quod præstare potest per pauca, non præstet per plura. Subtilia Scaliger habet. *Rem moveri videmus, inquit, quia corpus est. Corpus videmus, quia coloratum. Audimus corporis motum: quia cum sono est. Sic figuram, quia coloratæ superficiæ terminus est.* Et sentimusne figuram aeris, aut magnitudinem? Si propriæ magnitudinum ac figurarum species, cur nec videmus, nec tangimus aeris figuram aut quantitatem,?

Ex. 298. f. 15.

XXXVI. Tantum de speciebus his, quæ à sensibus Externis communicantur Internis. Communis n. omnia illa spectra recipit. Phantasia & illa capit, & alia ex iis noviter elicit. Theatrum hic habemus, in quo specierum infinitas quædam. Hinc omnis somniorum varietas, de musicâ, de nuptiis, choreis, incendiis, balneis, funeribus, & aliis. Quorum causa temperamentum sanguineum, cholericum, Phlegmaticum, & Melancholicum. Quibus & dicta factaq; nostra adnumeranda. Unde Lucretius:

*in somnis eadem pleriq; videmur obire,
Causidici causas agere & componere leges,
Induperatores pugnare & prælia obire,
Nautæ contractum cum ventis degere bellum &c.*

Quales sint.

XXXVII. Restat ultimum, quales sint species sensiles. Sed dictum de re hæc supra, ubi descriptionem formavimus. Tunc fideiâ unâ duos dealbavimus parietes. Scilicet, tenues sunt, puræ sunt, immateriales sunt: sine quantitate sine divisibilitate. Quod brevissimis declarabimus lineis. Aer noster plenum corpus est, nihil habens vacui. Non ex distantibus corpusculis constructus, sed per veram corporis unitatem contextus est. Plenus hic aer adventante Sole imbibit Lumen, quo perfunditur penitus. Et cum non orbatum tunc sit cælum stellis, cæteris, istarum quoq; lumina haurit. Omnia illa ac singula in quovis aeris puncto sunt tota, sunt perfecta, sunt impermixta. Accedant tonitrua, quæ terras ingenti terrent fremitu. Non cedit aer, non cedit lumen solis, non cedent cætera: accedent tamen soni, infinitorum hominum aures, etiam per parietum munimenta, subituri. Hos capit totos, perfectos, distinctos, auris quævis: per aerem, & seipso, & solari lumine, & aliis, repletum antè. Adferantur odores aromatum aut fœtores lacunarum. Non cedit aer, non lumina, non soni: sed admittent & hos lubentes. Et ita admittent, ut in uno aeris puncto & lumina tota, & sonos totos, & odores totos, sentias. En magna pusillæ rei exempla!

Tantum.

D_{N.}

D_{N.}

D_{N.}

D_{N.}

D_{N.}

D_{N.}

Inches

Centimetres

Blue

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

Kodak
LICENSED PRODUCT

© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

U M
ANA

o, Spectatissimis

KISLINGIO,

ico ibid. fe-

LINGIO,

INGIIS, Fra-

germanis,

oratisissimis.

GIO, Civi

o;

atq; Necesariis

lis debitam studio-
nem probaturus,

*ei cum omnigena καλο-
αγίας voto*

NE LOCO

D. D. D.

RESPONDENS

